

PONTIFICIA COMMISSIO
CODICI IURIS CANONICI
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. XIII - N. 1

1981

COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 1

IUNIO 1981

Litterae Ioannis Pauli PP. II ad Periclem Card. Felici

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

I. *Litterae Apostolicae Motu Proprio datae*

Ad constituendum Pontificium Consilium pro Familia 3

II. *Allocutiones*

- | | |
|--|----|
| 1. Iis qui conventui italorum Iurisperitorum catholicorum Romae habito
interfuere: de contraria iuris et violentiae notione | 6 |
| 2. Ad Praelatos Auditores Sacrae Romanae Rotae ineunte anno judiciali | 11 |
| 3. Ad S. Paenitentiariae Tribunal et Urbis basilicarum paenitentiarios:
de sacramentalis confessionis necessitate | 16 |

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei

- | | |
|---|----|
| I. De modo procedendi in examine et resolutione petitionum quae
dispensationem a caelibatu respiciunt | 21 |
| II. Instructio de Baptismo parvulorum | 26 |
| III. Declaratio de canonica disciplina quae sub poena excommunicati
onis vetat ne catholici nomen dent sectae Massonicae aliisque
eiusdem generis associationibus | 42 |

ACTA COMMISSIONIS

Opera Consultorum in recognoscendis schematibus canonum

- | | |
|---|-----|
| I. Coetus specialis « De Lege Ecclesiae Fundamentalii » | 44 |
| II. Coetus studiorum « De Populo Dei » | 111 |
| III. Coetus studiorum « De Institutis vitae consecratae per professionem
consiliorum evangelicorum » | 151 |
| IV. Coetus studiorum « De Sacramentis » | 211 |
| De Baptismo | 212 |
| De sanctissima Eucharistia | 233 |

DOCUMENTA

- Card. Praeses in Pont. Universitate Lateranensi orationem habet « Aequitas
romana et aequitas canonica » 246

- NOTITIAE 252

§ 2. Infans parentum catholicorum, immo et non catholicorum, qui in eo versatur vitae discrimine ut prudenter praevideatur moriturus antequam rationis usum attingat, licite baptizatur, nisi ambo parentes sint expresse contrarii et periculum odii in religionem habeatur.

Placent nn. 1 et 2 § 1, etsi secundum sententiam unius Consultoris iudicium existentiae illius *spei* causa esset ut baptismum diutius differatur. Bonum non est dare locum arbitrio.

Ad § 2: Idem Consultor proponit ut in alio canone, duabus constante paragraphis, sermo instituatur in § 1 de pueris qui in mortis periculo versantur, sed filii catholicorum; et in § 2 de filiis acatholicon agatur.

Unus Consultor contrarium sese declarat huic propositioni, sed disceptatione peracta, opportunum visum est in canone praecedenti § 2 textum suppeditare qui praecise de infanti in periculo mortis versanti agat. Idem Consultor petit ut verbum *catholicorum* supprimatur quia non est ad rem, sed contradicunt duo Consultores qui instant ut remaneat. Res ad suffragium submittitur et 4 Consultores stant pro textu servando, 4 Consultores, e contra, stant pro suppressione. Ergo, stante paritate suffragiorum, praevalet textus, ideoque *catholicorum* servatur. Textus itaque probatus sequens est:

§ 2. Infans parentum ... licite baptizatur, etiam invitis parentibus, nisi exinde periculum exurgat odii in religionem.

Can. 15 (qui fit 30) (CIC 749)

Infans expositus aut inventus nisi, re diligenter investigata, de eius baptismo constet, baptizetur.

Placet.


Can. 14 (qui fit 31) (CIC 747)

Fetus abortivi, si vivant, quantum id fieri possit, baptizentur.

Placet.

Conventus dd. 17-21 aprilis 1978 habitu

Ineunte sessione aliquis Consultor quaestionem de irregularitate, in anteacta sessione disceptatam (cf. *Communicationes*, 10, 1978, p. 195 sq.), movet. Iuxta eiusdem Consultoris sententiam, cum di-



stinctio inter irregularitatem ex defectu et ex delicto suppressa fuerit, oportet ut dicatur, sicuti antea in can. 986 CIC, si irregularitas incurritur, vel minus, quando insimul habetur etiam grave peccatum, ne legislatio severior et complicatior evadat quam in Codice. Rev.mus Relator et Exc.mus Secretarius proponunt ut § 2 adiungatur can. 225 (*qui unitur 219*) (cf. *Communicationes*, l. c., p. 197), desumptis verbis ex can. 986 CIC. Alicui Consultori adiectio necessaria non videtur, eo magis quod hoc modo tangeretur forum internum et perdifficile esset statuere quandonam ageretur de peccato mortali. Disceptatione peracta, Rev.mus Relator sequentem proponit textum: *Delicta de quibus in § 1, nn. 2-6, irregularitatem non pariunt, nisi fuerint peccata gravia, post baptismum perpetrata, itemque externa sive publica sive occulta.*

Re suffragio submissa, duo Consultores negativum suffragium dant, quinque vero suffragium positivum exprimunt. Unus se abstinet. Ergo textus maiori parte suffragiorum probatur.

* * *

Exc.mus Secretarius praesentis sessionis argumentum introducit quod erit continuatio recognitionis canonum de sacramento baptismatis et dein canonum de SS.ma Eucharistia, qui ultimi erunt canones recognoscendi ad sacramenta quod attinet.

Can. 19 (qui fit 32) (novus)

§ 1. *Qui dubie baptizatus est, dubio quidem post seriam investigationem permanente, baptizetur.*

§ 2. *Qui in aliqua communitate ecclesiali non catholica baptizatus est, habeatur valide baptizatus et baptizari non potest, nisi, inspecta liturgica forma in baptismo collato adhibita, necnon attenta intentione ministri baptizantis, seria ratio de baptismi validitate dubitandi adsit.*

§ 3. *Quod si, in casibus de quibus in §§ 1 et 2, dubia remaneat baptismi collatio aut validitas, baptismus ne conferatur nisi postquam ipsi baptizando, si sit adultus, doctrina de baptismi sacramento exponatur, atque, quando ritus baptismi iteretur, eidem baptizando aut, si de infante agatur, eius parentibus rationes dubiae validitatis ritus iam celebrati declarentur.*

Consideratis animadversionibus textus servatur, sed Consultores ad § 1 quod attinet, disceptatione peracta, textum ab uno eorum propo-

sito adprobant, ubi explicita mentio fit de investigatione peragenda in casu dubii sive collationis baptismi, sive eiusdem validitatis. En textus:

Si dubitetur utrum quis baptizatus fuerit, aut utrum baptismus valde collatus fuerit, dubio quidem post seriam investigationem permanente, baptismus eidem sub conditione conferatur.

Ad § 2: Petitur ut loco *liturgica forma* dicatur, sicut iam in can. 10 (9, § 2 schematis) factum est, *verborum forma*.

Exurgit quaestio inter Consultores quia textus pro validitatis baptismi praesumptione stare videtur in casu baptismi collati in aliqua communitate ecclesiali non catholica. De cetero animadvertisit in directorio oecumenico praecise dari praesumptionem pro baptismi validitate in illis communitatibus, nisi adsint rationes contrariae. Unus Consultor situationem exponit suaे Nationis in qua multae sunt sectae, potius quam communites, protestanticae pro quibus valere non potest praesumptio pro validitate baptismi ab eisdem collati. Et si in textu praesumptio in favorem earum baptismi datur, nullus erit qui investigationem peragerit. Alter Consultor tenet melius esse ut in textu admittatur praesumptio baptismi invaliditatis illis in communitatibus, verbis *dummodo constet* ... Tertius Consultor tenet magnum adesse periculum pro baptismi validitate in nn. 13 et 14 directorii oecumenici, quia illae communites saepe saepius inter se discordant. Aliqui Consultores proponunt ut textus directorii utatur, cui addatur *ne iterum sub conditione quis baptizetur, nisi* ...

Rev.mus Relator proponit ut dicatur *qui in alia communitate ... baptizetur, sub conditione ne baptizetur nisi inspecta ... dubitandi, post investigationem, adsit.*

Aliquis Consultor tenet parochum possibilitatem vel capacitatem saepe saepius non habere investigandi de casu singulari, nam quaestio de baptismi validitate saepe difficilis est resolutionis. Nihil dicatur de investigatione sed tantum adhibeantur verba *nisi constet* ... Alius Consultor tenet melius, forsitan, esse si investigatio penes Curiam Episcopalem peragatur cui recurrentum erit ut adultus ad baptismum admittatur. Tertius Consultor animadvertisit, cum in canonibus nihil dicatur, de se Episcopum normam in hac materia edere posse.

Unus Consultor proponit ut in alia §, quae uti 2 ponenda esset, praesumptio iuris stabilitetur in favorem validitatis baptismi in aliqua Ecclesia orientali a catholica seiuncta collati, hisce vel similibus verbis:

Baptismum in Ecclesia orientali non catholica collatus validus habetur, pariter ac ille in Ecclesia catholica receptus.

Contradicunt aliqui Consultores, qui tenent adiectionem non esse faciendam, quia secus mentio facienda esset etiam de anglicanis, vetero-catholicis aliisque huiusmodi.

Omnes Consultores consentiunt in non admittenda propositione primi Consultoris.

In fine disceptationis Rev.mus Relator sequentem proponit textum qui ab omnibus — uno excepto qui se abstinet — probatur:

Ad baptizatos in communitate ecclesiali non catholica quod attinet, investigatio est facienda de eorum baptismi validitate; non autem sunt sub conditione baptizandi si, inspecta materia et verborum forma in baptismo collato adhibitis necnon attenta intentione baptizati adulti et ministri baptizantis nulla seria ratio de baptismi validitate dubitandi adsit.

Textus placet praecise quia sermo instituitur potius quam de conditione baptismi, de ipsis baptizatis et in forma praeceptiva vel prae-scriptiva loquitur de investigatione. Et in casu quod inter Ecclesiam et communatem ecclesialeм conventio aliqua hac de re habeatur — uti habetur in directorio oecumenico — baptismus tamquam validus consideratur.

Ad § 3: Placet textus in schemate propositus, demptis verbis *quando ritus baptismi iteretur.*

Unus Consultor preferret ut expressio « sub conditione » introducatur. Contradicit Rev.mus Relator, quia necessaria non videtur: si primus baptismus est revera validus, secundus nihil agit et versavice. Alter Consultor notat expressionem esse in usu praxis ecclesiasticae, quae de cetero tamen omitti potest. Tertius Consultor adnotat Coetus consulto omissionem voluit expressionis *sub conditione*, ratione supradicta.

Cardinalis Praeses tenet omissionem peragi posse cum neque sacramenti offensio in casu reiterationis habeatur neque eius profanatio.

Conveniunt quoque alii et textum prout superius emendatum probant, uno Consultore excepto qui se abstinet a suffragio ferendo.

CAPUT IV
DE PATRINIS

Cann. 25 et 29 (qui fiunt 33) (CIC 762 et 769)

Ex vetustissimo Ecclesiae more, nemo baptizetur nisi suum habeat, quantum id fieri possit, patrinum (can. 25).

Patrini, ex suscepto munere, est curare, deficientibus praesertim parentibus, ut baptizatus consciente vitam christianam baptismō congruam ducat obligationesque eidem inhaerentes fideliter adimpleat (can. 29).

Animadversionibus ob Organis consultationis sive generalibus quoad hoc caput, sive particularibus de cann. 25 et 29 perspectis, Rev.mus Relator, etiam systematica ratione prae oculis habita, sequentem proponit textum:

Ex antiquo Ecclesiae more, unicuique baptizando, quantum fieri possit, detur patrinus, cuius est baptizando adulto in initiatione christiana adstare, et baptizandum infantem, una cum parentibus ad baptismum praesentare atque munere suscepto operam dare ut baptizatus vitam christianam baptismō congruam ducat obligationesque eidem inhaerentes fideliter adimpleat.

Textus placet omnibus Consultoribus, uno excepto, sequentibus emendationibus admissis: 1) tollantur verba *Ex antiquo Ecclesiae more*, sicut factum est in canonibus de confirmatione; 2) supprimantur verba *munere suscepto* uti inutilia.

Can. 26 (qui fit 34) (CIC 764)

§ 1. Patrinus unus tantum, eiusdem vel diversi a baptizando sexus, vel etiam unus et una adhibeantur.

§ 2. Deficiente post baptismum collatum patrino, alius infanti dari potest patrinus, cuius nomen in baptizatorum libro inscriendum est.

Animadversionibus prae oculis habitis, Rev.mus Relator sequentem proponit textum:

§ 1. Patrinus unus tantum vel matrina una vel etiam unus et una adhibeantur.

§ 2. Deficiente post baptismum collatum patrino, alius pro baptizato eligi et inscribi potest patrinus.

Ad § 1: Omnes concordant in textu proposito, uno Consultore excepto, qui praferret suppressionem huius §.

Ad § 2: Unus Consultor proponit ut § supprimatur, cui accedit alter Consultor, aliis tamen contradicentibus; ergo textus servatur et probatur prouti sonat.

Cann. 27-28 (qui fiunt 35) (CIC 765-766)

Can. 27 (CIC 765). Ut quis patrini munere valide fungatur, oportet:

- 1) *sit baptizatus, rationis usum assecutus et intentionem habeat id munus gerendi;*
- 2) *religionem profiteatur catholicam; baptizatus non catholicus, si ad normam legitimorum praescriptorum admitti valeat, nonnisi una cum alio patrino catholico admittatur;*
- 3) *non sit sententia aut decreto irrogante vel declarante excommunicatus, nec poena dimissionis a statu clericali innodatus nec alia poena exclusus a caeremoniis cultus publici;*
- 4) *non sit pater aut mater aut coniux baptizandi;*
- 5) *sit ab ipso baptizando eiusve parentibus vel tutoribus aut, his deficientibus, a ministro designatus.*

Can. 28 (CIC 766). Ut quis licite ad munus patrini admittatur, oportet:

- 1) *decimum sextum aetatis suae annum expleverit, nisi gravis causa aliud suadeat;*
- 2) *sit sacramentis Confirmationis et SS. Eucharistiae initiatus;*
- 3) *bona fama canonice gaudeat;*
- 4) *sit doctrina christiana rite instructus et habilis qui officia patrino propria assumat et adimpleat;*
- 5) *non sit in Instituto vitae consecratae novitus vel professus, nisi necessitas urgeat aut expressa habeatur venia Moderatoris saltem localis.*

Animadversionibus consideratis, uti iam factum est in canonibus de confirmatione, amplius non fit distinctio inter conditiones ad vali-

ditatem et liceitatem, cum nulla ratio, post cognitionis spiritualis suppressionem, suppeditur.

Rev.mus Relator sequentem proponit textum:

§ 1. *Ut quis ad munus patrini suscipiendum admittatur oportet ut:*

1) ab ipso baptizando eiusve parentibus vel eo qui eorum locum tenet aut, his deficientibus, a parocho vel ministro sit designatus et intentionem habeat hoc munus gerendi;

2) decimum sextum aetatis annum expleverit, nisi alia aetas ab Episcoporum Conferentia vel Episcopo dioecesano statuta fuerit, vel exceptio iusta de causa parocho aut ministro admittenda videatur;

3) sit baptizatus et in plena communione Ecclesiae catholicae constitutus et iuribus canonicis non privatus;

4) non sit pater aut mater baptizandi;

5) non sit in Instituto religioso novitus aut professus, nisi expressa habeatur licentia eius Ordinarii proprii aut Moderatoris saltem localis.

§ 2. *Baptizatus non catholicus nonnisi una cum patrino catholico et ut testis tantum baptismi admittatur.*

Ad § 1: n. 1: ante intentionem dicatur atque aptitudinem et; n. 2: tollatur Episcoporum Conferentia vel; n. 3: nonnulli Consultores petunt ut conditio aliqua apponatur de exigentia vitae christiana ducendae ab eo qui munus patrini suscipit. Et eius loco novus textus ponitur qui sic sonat: *Sit catholicus, confirmatus, et SS.mum Eucharistiae sacramentum iam receperit, atque vitam ducat fidei et muneri suscipiendo congruam.* Insuper aliis adiungitur numerus qui erit n. 4 (novus): *nulla poena canonica per sententiam irrogantem vel declarantem sit innodatus;* dein n. 4 fit n. 5: *non sit pater aut mater baptizandi.*

Quoad n. 5 propositum a Rev.mo Relatore, omnes concordant ut supprimatur sicut factum est pro patrinis in confirmatione.

Ad § 2: Loco non catholicus dicatur ad communitatem ecclesiam non catholicam pertinens; et post catholico et adiungatur quidem.

Unus Consultor instat ut haec § in duas dividatur ad clarius considerandam orientalium aliorumque christianorum conditionem, sequentibus vel similibus verbis:

§ 2. Orientalis non catholicus ad munus patrini admitti potest una tamen cum patrino catholico.

§ 3. Ceteri christiani non catholici nonnisi ut testis baptismi admitti possunt, adstante quidem patrino catholico.

Suffragatione tamen peracta, propositio non admittitur (4 contra, 1 pro, 2 abstinentes).

* * *

Adprobatione huius canonis peracta, ne in repetitione incidatur, Exc.mus Secretarius proponit ut § 1 can. 54 (de confirmatione) sequenti modo mutetur:

Ut quis patrini munere fungatur oportet ut conditiones adimpleat de quibus in canone 35 (de patrinis in baptismo).

CAPUT V

DE COLLATI BAPTISMI PROBATIONE ET ADNOTATIONE

Can. 36 (novus)

Qui baptismum administrat ad normam can. 10 curet ut, nisi adsit patrinus, habeatur unus saltem testis quo collatio baptismi probari possit.

Consideratis animadversionibus, placet textus prout propositus, demptis verbis *ad normam can. 10*.

Can. 39 (qui fit 37) (CIC 779)

Ad collatum baptismum comprobandum, si nemini fiat praeiudicium, sufficit declaratio unius testis omni exceptione maioris, aut ipsius baptizati iusurandum, si ipse in aetate adulta baptismum receperit.

Consideratis animadversionibus, placet textus.

Can. 37 (qui fit 38) (CIC 777)

§ 1. Parochus debet nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus ac patrinis, de loco ac die collati baptismi, in baptizatorum libro sedulo et sine ulla mora referre, insimul indicatis die et loco nativitatis.

§ 2. Si de illegitimo filio agitur, matris nomen inserendum est, si publice de eius maternitate constet aut ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris inserendum est, si eius paternitas probatur sive publico documento etiam civili sive ipsius declaratione coram parocho et duobus testibus facta; in ceteris casibus, inscribatur baptizatus nulla indicatione facta de patris aut parentum nomine.

Consideratis animadversionibus in consultatione prolatis, Rev.mus Relator sequentem proponit textum:

§ 1. Parochus debet nomina baptizatorum, mentione facta de ministro, parentibus, patrinis necnon, si adsint, testibus, de loco ac die collati baptismi, in baptizatorum libro sedulo et sine ulla mora referre, simul indicatis die et loco nativitatis (insuper, si agatur de adulto coniugato, inscribatur nomen mariti vel uxoris).

§ 2. Si de filio agatur e matre non nupta nato, matris nomen inserendum est, si publice de eius maternitate constet aut ipsa sponte sua scripto vel coram duobus testibus id petat; item nomen patris inscribendum est, si eius paternitas probatur sive aliquod publico documento sive ipsius declaratione coram parocho et duobus testibus facta; in ceteris casibus, inscribatur baptizatus, nulla facta de patris aut parentum nomine indicatione.

§ 3. Si de filio adoptivo agitur, inscribantur nomina adoptantium necnon, saltem si ita fiat in actu civili regionis, parentum naturalium ad normam §§ 1 et 2, attentis Episcoporum Conferentiae praescriptis.

Ad § 1: Placet textus propositus demptis verbis inter uncos positis insuper ... uxoris; et post Parochus additis verbis loci in quo baptismus celebratur.

Ad § 2: Unus Consultor petit ut verba *scripto vel coram duobus testibus* deleantur. Contradicit Rev.mus Relator quia necessarium est probationem habere de eius postulatione, et nemo in animadversionibus hanc petit suppressionem.

Alter Consultor, ut textus quodammodo largior evadat, proponit ut saltem verbum *scripto* deleatur. Sed res suffragationi submissa, placet omnibus uti est, duobus Consultoribus exceptis.

Placet § 3.

Can. 38 (qui fit 39) (CIC 778 et novus)

§ 1. Si baptismus nec a parocho nec eo praesente administratus fuerit, minister baptismi, quicumque sit, de collato baptismo certiore facere debet parochum paroeciae in qua baptismus administratus est.

§ 2. Si baptismus administratus fuerit in paroecia quae non est parentum propria, parochus paroeciae in qua baptismus collatus est, certiorem facere debet parochum paroeciae in qua parentes domicilium aut quasi-domicilium habent; qui parochus in baptizatorum libro adnotet, mentione facta de nomine baptizati eiusque parentum, se certiorem factum esse infantem in alia paroecia esse baptizatum.

Placet § 1, adjunctis in fine verbis ut *baptismum adnotet ad normam can. 38, § 1.*

Ad § 2: Consideratis animadversionibus missis, Rev.mus Relator textum sequentem proponit:

Si baptismus collatus fuerit in paroecia quae non est baptizati adulti aut baptizati infantis parentum propria, parochus paroeciae in qua baptismus collatus est parochum proprium ratione domicilii vel quasi domicilii baptizati certiorem reddat.

Placet.

DE SANCTISSIMA EUCHARISTIA

Rev.mus Relator animadversiones generalem ad universum titulum III prolatas legit.¹

¹ 1. Iudicium sat negativum: *Plures opinantur schema canonum penitus recognoscendum esse.*

2. Postulatur canon introductorius:

a) Quo eluceat positio centralis Eucharistiae in vita Ecclesiae eiusque functiones, speciatim sacramenta.

b) Quo eluceat Eucharistiam esse actionem sacrificalem Christi et Ecclesiae; esse celebritatem totius populi Dei hierarchice structurati, quod realizatur etsi populi membra non realiter sunt praesentes.

c) Canon introductorius sit *statement* quoddam theologicum, fundatum in instructione Congreg. Rituum diei 25 Maii 1967, quo contineantur haec puncta: 1) unio essentialis celebrationis, receptionis et conservationis Eucharistiae; 2) inseparabilitas sacrificii, memoriae et coenae; 3) celebratio eucharistica tamquam actio Christi et Ecclesiae; 4) character communictarius Eucharistiae; 5) relatio cultus eucharistici ad Missam, momentum cultus eucharistici.

3. Desideratur maior respectus erga *Inst. Generalem Missal. Rom.*

4. Proponitur nova distributio materiae:

a) Proponuntur 4 articuli: 1) de conventu (*assemblée*) eucharistico (hic etiam de mandato dominicali); 2) ministeria et officia in celebratione; 3) participatio fidelium (hic etiam de communione intra missam, de mandato paschali); 4) normae generales de

Can. 61 (CIC 801)

Eucharistici sacrificii celebratio, in qua Ipse met Christus Dominus, substantialiter sub speciebus panis et vini praesens, offertur et sumitur, est ipsius Ecclesiae actio, cui in persona Christi praesidet solus sacerdos, minister huius sacramenti proprius, et ad quam ceteri qui intersunt christifideles, sive clerici sive laici, suo quiske modo pro ordinum et liturgicorum munera diversitate participando, concurrunt.

Consultor, qui tentamen novi textus canonum fecit, habita ratione expansionis modorum in animadversionibus prolatorum, proponit ut, sicut iam factum est pro aliis sacramentis, primus canon sit quodammodo doctrinalis et introductorius ad alios canones. Et textum e Decreto conciliari *Presbyterorum Ordinis* desumpsit:

Eucharistica celebratio, in qua Ipse met Christus Dominus, realiter sub speciebus panis et vini praesens, offertur et sumitur, est ipsius

celebratione (tempore, loco, materia sacrificii). Alterum caput deinde de communione extra missam et de cultu Euchar. extra missam.

b) Proponuntur 2 partes: I. De liturgia Verbi; II. De lit. euchar. et ibi cap. 1. De Euch. ut sacrific., cap. 2. De Euch. ut sacram.

c) Desideratur cap. I: loco « De Euchar. celebratione » dicatur « De sacrosancto Missae sacrificio » (sicut in antiquo CIC).

5. Maior valor ponatur in liturgiam Verbi.
6. Character communarius Euch. desideratur
 - a) Contra nimiam indolem individualisticam.
 - b) Dicantur tamen aliqua de liceitate celebrationis sine populo praesente et de iure et obligatione Ecclesiae Eucharistiam celebrandi.
7. Desiderantur plura de participatione activa fidelium.
8. a) Desideratur partitio inter celebr. Sacrificii et distrib. Commun.
 - b) Ex altera parte (opposita) pluries invenitur laus de omissa partitione inter sacrific. et sacramentum.
9. Desideratur terminologia magis uniformis. Apparere videtur diversa redactio.
 - a) Exemplum: Eucharistici Sacrificii celebratio; Sacrificium Eucharisticum; Eucharistia; Missa.
 - b) Aliud exemplum: Terminus Sacerdos videtur ambiguus, deberet adhiberi ita, ut etiam episcopus tamquam praeses celebr. Euch. appareret.
10. Desiderantur verba de necessitate praeparationis et gratiarum actione sacerdotis celebrantis.
11. Titulus: De Eucharistia.
12. Quod attinet dualitatem « minister - subiectum ».
 - a) Dicitur non iam adhiberi posse.
 - b) Desiderantur duo articuli: 1) art. proprius (continens can. 62-69, 75-76) sub titulo: De sacerdote Missae sacrificium celebrante; 2) art. proprius (continens can. 70, 71, 82-84, 97) sub titulo: De ministro Sacrae Communionis.
13. De functione Episcopi. Ep. plures moderator legum, numquam autem summus sacerdos et pater spirit. populi et reprezentans communitatis.
14. Magis urgetur communio Euchar., minus tamen actio et celebratio.
15. Parum commendatur concelebratio.

Christi et Ecclesiae actio. In ea populus Dei in unum convocatur episcopo vel eius vice sacerdote praeside personamque Christi gerente, ad memoriale passionis, mortis et resurrectionis Domini celebrandum.

Rev.mus Relator preferret textum qui iam invenitur in LEF (can. 66, § 1), qui sic sonat:

Augustissimum Sacramentum est Sanctissima Eucharistia, in qua ipsem Christus Dominus continetur, offertur et sumitur, qua quidem continuo vivit et crescit Ecclesia. Sacrificium Eucharisticum, memoriale mortis et resurrectionis Domini, in quo Sacrificium Crucis in saecula perpetuatur, totius vitae christiana est culmen et fons, quo significatur et efficitur unitas Populi Dei et Corporis Christi aedificatio perficitur; cui adiungenda essent verba ad quem ordinantur omnia alia sacramenta et ministeria in Ecclesia.

Unus Consultor animadvertisit, ad systematicam quod attinet, sacramenta speciem unius generis non esse et schema aliquod omnibus sacramentis nequit applicari; divisio fieri debet, iuxta quandam analogiam.

Alter Consultor notat sacrificium eucharisticum et ipsum esse sacramentum: sacramentum Eucharistiae dimensionem habere sacrificii et dimensionem mensae paschalis. Oportet ut haec duo elementa unita maneant. Evitandus insuper est terminus *subiectum* utpote aliquantis per aequivocus. De communione eucharistica in articulo a se stante sermo instituendus est. Et sequentem proponit textum:

§ 1. Eucharistica celebratio, memoriale Mortis et Resurrectionis Christi, actio est ipsius Christi et Ecclesiae, in qua Christus Dominus, ministerio sacerdotis, sub speciebus panis et vini semetipsum Deo Patri offert atque fidelibus se praebet ut cibum spirituale, quo unum in Ipso fiant.

§ 2. SS. Eucharistiae celebratio totius cultus Ecclesiae totiusque vitae christiana fons et culmen est. Quare cetera Sacra menta et omnia ecclesiastica apostolatus opera cum ea cohaerent et ad eam ordinantur.

§ 3. Maxime interest ut celebratio Missae ita ordinetur, ut ministri atque fideles illam pro sua condicione participantes, eos fructus plenius exinde capiant, ad quos obtainendos Christus Dominus Sacrificium eucharisticum instituit.

Aliquis Consultor animadvertisit quod in hoc sacramento sive minister sive subiectum non sunt solummodo minister et subiectum, sed minister est quodammodo subiectum et subiectum quodammodo minister, utpote exercens suum regale sacerdotium.

Rev.mus Relator notat evitandam omnino esse qualemcumque speciem confusionis sacerdotium ministeriale inter et sacerdotium commune. Et iuxta eiusdem Rev.mi Relatoris sententiam, huius sacramenti celebratio de se plures ideas complectitur, nempe:

1) in sensu lato, omnia comprehendit abstractione facta de assertione et de stipe; 2) sensu magis stricto excluduntur minister et subiectum; 3) distinguendum insuper esse inter ministrum et subiectum, cum observatione a Consultore facta; 4) convenientia inter SS.mum Missae sacrificium et Communionis receptionem.

Unus Consultor animadvertisit quod si nimis distingueretur inter rationem sacrificii et rationem communionis, appareret quod communio non est sacrificii participatio. Dum, e contra, etiam communio extra Missam recepta participatio Missae sacrificii est.

Alius Consultor instat ut duo aspectus sacrificii sacramentalis et sacramenti permanentis non disiungantur.

Rev.mus Relator proponit ut loco *de subiecto* dicatur *de ceteris participantibus*.

Ad disceptationem textus canonis propositi redeundo, Rev.mo Relatori magis placet textus can. 66 § 1 LEF. Unus Consultori praferret redactionem §§ 1 et 3 ab altero Consultore propositam. Qui Consultor praecisare intendit in hoc sacramento functionem sacerdotis esse: 1) personam Christi gerere in offerendo Eucharistiae sacrificium et 2) Populo Dei praesidere. Functio haec praecise habetur quia in prima fundatur, uti habetur in Institutione Missalis Romani. Alio vero Consultori magis placet textus can. 66, § 1 LEF.

Aliquis Consultor proponit ut prima pars canonis, qui a Consultore, expensionem modorum exaranti, propositus est, uti can. 61 ponatur cuiusque textus est: *Eucharistica celebratio, in qua Ipsem Christus Dominus, realiter sub speciebus panis et vini praesens, offertur et sumitur, est ipsius Christi et Ecclesiae actio*, in canonem generalem inseratur; secunda vero pars *In ea populus Dei in unum convocatur episcopo vel eius vice sacerdote praeside personamque Christi gerente, ad memoriale passionis, mortis et resurrectionis Domini celebrandum* ad canones de celebratione una cum § 3 ab altero Consultore proposita remittatur; denique in § 3 dicatur *In celebratione eucharistica populus Dei in unum convocatur, episcopo vel, sub eius auctoritate, presbytero praeside personamque Christi gerente*.

Tandem aliquando disceptatione peracta, omnes conveniunt ut can. 61 e textu LEF sumatur, cui adiungitur can. 61 bis continens § 1 textum ab altero Consultore propositum etsi emendandum.

Ad can. 66 § 1 LEF, superius notatum, unus Consultor petit ut verbum *augustissimum* tollatur, cui contradicunt ceteri Consultores. Alius Consultor proponit ut post *totius* dicatur *cultus et:* placet aliis.

Aliqui Consultores ad finem canonis proponunt ut prae verbis *ad quem ordinantur omnia alia sacramenta et ministeria in Ecclesia* superius propositis dicatur *Cetera enim sacramenta, sicut et omnia ecclesiastica ministeria et opera apostolatus cum SS.ma Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur* (Placet).

Proinde textus definitive probatus can. 61 est sequens:

Augustissimum Sacramentum est sanctissima Eucharistia, in qua ipsem Christus Dominus continetur, offertur et sumitur, qua quidem continuo vivit et crescit Ecclesia. Sacrificium Eucharisticum, memoriale mortis et resurrectionis Domini, in quo Sacrificium Crucis in saecula perpetuatur, totius cultus et vitae christianaee est culmen et fons, quo significatur et efficitur unitas Populi Dei et Corporis Christi aedificatio perficitur. Cetera enim Sacra menta et omnia ecclesiastica apostolatus opera cum sanctissima Eucharistia cohaerent et ad eam ordinantur.

CAPUT I

DE EUCHARISTICA CELEBRATIONE

Can. 61 bis (qui est textus in pag. 167 relatus, et ab altero Consultore propositus).

Ad § 1: Ad sublineandam praesentiam Christi realem in Eucharistia, unus Consultor proponit ut post *vini* adiungatur *vere, realiter et substantialiter praesens*, tamen, nonnullis Consultoribus proponentibus, sufficit ut dicatur *substantialiter*. Insuper supprimuntur verba *memoriale mortis et resurrectionis Christi*, quae iam in canone 61 continentur. Denique verbum *semetipsum ante sub speciebus* ponitur, atque post *fidelibus* adiungitur *in sua oblatione sociatis*. In fine verba *quo unum in ipso* fiant delentur. Quapropter textus definitive probatus huius § est:

Eucharistica celebratio actio est ipsius Christi et Ecclesiae, in qua Christus Dominus, ministerio sacerdotis, semetipsum sub speciebus panis et vini substantialiter praesentem, Deo Patri offert atque fidelibus in sua oblatione sociatis, ut cibum spiritualem se praebet.

Ad § 2: Cadit utpote iam contenta in ultima phrasi can. 66 LEF adiecta. Eius tamen loco et vice § 3 ab altero Consultore proposita sequens examinatur textus:

§ 2. *In Synaxi eucharistica Populus Dei in unum convocatus, episcopo aut sub eius auctoritate presbytero praeside, personamque Christi gerente, ita ordinetur ut omnes exinde fructus plures capiant, ad quos obtinendos Christus Dominus sacrificium eucharisticum instituit.*

§ 3. *Ad celebrationem eucharisticam omnes qui intersunt fideles, sive clerici sive laici, suo quisque modo pro ordinum et liturgicorum munera diversitate participando concurrunt.*

Unus Consultor proponit ut § 3 in § 2 includatur et secunda pars § 2 a verbis *ita ordinetur ...* fiat § 3, quod placet aliis. Quapropter textus qui probatur est:

§ 2. *In eucharistica Synaxi Populus Dei in unum convocatus, episcopo aut sub eius auctoritate presbytero praeside, personamque Christi gerente, atque ad celebrationem eucharisticam omnes qui intersunt fideles, sive clerici sive laici, suo quisque modo pro ordinum et liturgicorum munera diversitate participando concurrunt.*

§ 3. *Celebratio eucharistica ita ordinetur ut omnes participantes exinde fructus plures capiant, ad quos obtinendos Christus Dominus sacrificium eucharisticum instituit.*

Art. 1

DE SANCTISSIMAE EUCHARISTIAE MINISTRO

Can. 62 (CIC 802)

§ 1. *Minister aptus, qui in persona Christi Sacrificium eucharisticum conficiat, est solus sacerdos valide ordinatus.*

§ 2. *Licite Eucharistiam celebrat sacerdos lege canonica non impeditus, servatis praescriptis canonum qui sequuntur.*

Rev.mus Relator legit animadversiones propositas et examini subicitur textus a Consultore qui expensionem modorum exharavit propositus, qui sic sonat:

§ 1. *Ad celebrationem eucharisticam omnes qui intersunt fideles, sive clerici sive laici, suo quisque modo pro ordinum et liturgicorum munera diversitate participando concurrunt. Minister autem, qui in*

personam Christi praesidet, esse potest solus episcopus vel sacerdos valide ordinatus.

§ 2. *Licite Eucharistiam celebrat sacerdos lege canonica non impeditus, servatis praescriptis canonum qui sequuntur.*

Ad § 1: Disceptatione sat longa peracta textus, cum prima pars in § 3 praecedentis canonis translata sit, textus qui probatur est sequens: *Minister qui in persona Christi sacramentum Eucharistiae conficere valet est solus sacerdos valide ordinatus: in quo verbum sacerdos et episcopos et presbyteros comprehendit.*

Ad § 2: Placet prout propositus est.

Can. 63 (CIC 803)

§ 1. *Nisi utilitas christifidelium aliud requirat aut suadeat, licet sacerdotibus Eucharistiam concelebrare.*

§ 2. *Integrum est sacerdotibus ut singuli Eucharistiam celebrent, non vero eo tempore quo in eadem ecclesia aut oratorio concelebratio habetur.*

Consideratis animadversionibus, unus Consultor sequentem proponit textum:

§ 1. *Nisi utilitas christifidelium aliud requirat aut suadeat, convenit sacerdotes Eucharistiam concelebrare.*

§ 2. *Integrum tamen est sacerdotibus, ut singuli Eucharistiam celebrent, non vero eo tempore, quo in eadem Ecclesia aut oratorio celebratio cum quadam sollemnitate habetur.*

Alter Consultor petit utrum servare conveniat lex potius liturgica, quae variare potest iuxta circumstantias. Tertius Consultor tenet in Constitutione *Sacrosanctum Concilium* de Sacra Liturgia Concilii Oecumenici Vaticani II et in Litteris *Eucharisticum Mysterium* Pauli Papae VI concelebrationem valde commendari et res quam maxime patuit, ideoque opportunum ei videtur ut in textu Codicis aliquid dicatur. Quartus Consultor concelebrationis convenientiam pro sacerdotibus videt, cauto tamen ne fideles possibilitate Missae assistendi priventur. Quintus Consultor vellet ut aliquod vetitum ponatur Missam binandi ne, uti a multis fit, soli celebrent sine ratione et postea concelebrent cum communitate.

Ad § 1: Placet omnibus, excepto uno Consultore, qui mallet ut nihil de hac re dicatur; loco *convenit* dicatur *commendatur ut sacerdotes Eucharistiam concelebrent.*

Ad § 2: *Verba cum quadam sollemnitate tantum uni Consultori placent; tribus Consultoribus placet ut dicatur concelebratio vel celebratio.*

Textus prouti est in Schemate typis impressus placet aliis tribus Consultoribus. Ergo hic ultimus probatus, facta suffragatione, manet.

Can. 64 (CIC 804)

§ 1. *Sacerdos ad celebrandum admittatur etiamsi rectori ecclesiae sit ignotus, dummodo aut litteras commendatitias sui Ordinarii exhibeat, aut alio modo ipsi rectori de eius probitate satis constet.*

§ 2. *Integrum est loci Ordinario hac de re normas magis determinatas edere, ab omnibus sacerdotibus servandas, etiam a sodalibus Instituti exempti, nisi agatur de iisdem admittendis ad celebrandum in ecclesiis aut oratoriis proprii Instituti.*

Animadversionibus consideratis, textus ab uno Consultore propositus Consultorum considerationi submittitur:

§ 1. *Sacerdos ad celebrandum admittatur etiamsi rectori Ecclesiae sit ignotus, dummodo aut litteras commendatitias sui Ordinarii vel Moderatoris sui instituti vitae consecratae, saltem intra annum datas, exhibeat, aut alio modo ipsi rectori de eius probitate satis constet.*

§ 2. *Integrum est loci Ordinario hac de re normas magis determinatas edere, ab omnibus sacerdotibus servandas, etiam a sodalibus Instituti exempti, nisi agatur de iisdem admittendis ad celebrandum in ecclesiis aut oratoriis proprii Instituti.*

Ad § 1: Textus placet, demptis verbis *Instituti vitae consecratae*, ita ut sufficient litterae commendatitiae proprii Superioris at non necessario Superioris Maioris, necnon *alio modo ipsi rectori ... constet*; atque in fine adiectis verbis: *aut prudenter existimari possit eundem a celebratione non esse impeditum.*

Ad § 2: Alicui Consultori § 2 necessaria non videtur quia Episcopus potest semper determinationem hac de re edicere; si servatur, exceptio pro exemptibus tollatur. Etiam alio Consultori videtur suppri menda. Facta suffragatione quattuor Consultores stant pro eius suppressione; tres pro eiusdem conservatione: ergo paragraphum supprimitur.

Can. 65 (CIC 805)

Omnes sacerdotes Sacrificium eucharisticum frequenter celebrent, maxime si christifidelium bonum id suadeat; enixe ipsis commendatur ut Sacrificium eucharisticum, quod quidem semper est actus Christi et Ecclesiae, quo munus suum sacerdotale praecipuum adimplent, cotidie celebrent.

Animadversionibus p[re] oculis habitis, Consultor qui eas examinavit textum sequentem proponit:

Memores, quod in mysterio Sacrificii eucharistici opus redemptionis continuo exercetur, sacerdotes in bonum fidelium libenter celebrent; insuper enixe commendatur eius celebratio cotidiana, quae quidem etiam si praesentia fidelium haberi non possit, actus est Christi et Ecclesiae.

Placet textus, sequentibus emendationibus admissis: 1) loco *quod in ... dicatur in mysterio ... exerceri*; 2) supprimantur verba *in bonum fidelium* quia semper celebratur in bonum fidelium; loco *libenter dicitur frequenter*; 3) in fine expressio adiungatur *in quo munus suum praecipuum adimplent*.

Can. 66 (CIC 806)

§ 1. Exceptis diebus quibus ad normam legum liturgicarum licitum sit pluries eodem die Eucharistiam celebrare aut concelebrare, non licet sacerdoti plus semel in die celebrare, nisi ipso iure aut apostolico indulto id permittatur.

§ 2. Si sacerdotum penuria habetur, sacerdotes, iusta causa id suadente, licite bis in die, immo, necessitate pastorali id postulante, etiam ter in diebus dominicis et festis de pracepto, celebrant.

Consideratis animadversionibus, Consultor qui eos examini subiecit canonem unica paragraphe redegit, cuius textus est:

Exceptis diebus, quibus ad normam legum liturgicarum licitum sit pluries eodem die Eucharistiam celebrare aut concelebrare, non licet sacerdoti plus semel in die celebrare; necessitate autem pastorali id postulante licite pluries in die celebrant, servatis tamen loci Ordinarii praescriptis.

Nonnullis Consultoribus magis placet redactio duabus §§ constans uti prostat in schemate typis impresso. Unus Consultor petit ut mentio de indulto apostolico supprimatur, quod amplius hodie non conceditur, quia episcopus diocesanus facultatem binationem vel trinationem concedendi habet ex M.P. *Pastorale munus* et *De Episcoporum muneribus*.

Alter Consultor etiam proponit ut redditus fiat ad textum schematis typis impressi. Tertius Consultor praeferret ut in § 1 dicatur *iure vel indulto sine apostolico*. Facultas enim quandoque binandi data est pro aliquibus casibus in libris liturgicis recensitis. Idem Consultor petit ut in § 2 introducatur *de licentia Ordinarii* ne iudicium circa conditiones singulis sacerdotibus relinquatur. Quartus Consultor petit ut dicatur tantum *iure sine ipso*. Ideoque textus qui probatur est ille qui in scheme typis impresso invenitur, demptis, in § 1, verbis *ipso* necnon *aut apostolico indulto*; in § 2, post *habetur dicatur concedere potest loci Ordinarius ut ...*

Can. 67 (CIC 813)

Sacerdos Eucharistiam ne celebret sine ministro, nisi iusta et rationabili de causa.

Perspectis animadversionibus, unus Consultor sequentem proponit textum:

Eucharistico sacrificio semper assistat aliquis ex fidelibus, nisi iusta causa aliud suadeat.

Disceptatione tamen peracta, textus qui probatur est:

Nisi iusta et rationabili de causa, sacerdos sacrificium eucharisticum ne celebret sine participatione alicuius saltem fidelis.

Exc.mus Secretarius quaestionem, ab aliquibus agitata, movet utrum dispositivum § 2 can. 813 CIC, de mulieribus quae *ullo pacto* ad altare accendant, opportunum sit servare.

Consultores animadvertisunt rem aliquantulum obsoletam esse quia iam suprema Auctoritas mulieribus concessit possibilitatem sacram Communionem distribuendi et lecturas faciendi intentionesque in prece universalis legendi. Ideoque omnes — excepto uno Consultore, qui se abstinet — retinent melius esse in Codice hac de re nihil agere.

Can. 67 bis (novus)

In celebratione eucharistica diaconis vel laicis non licet orationes citare vel actionibus fungi, quae sacerdoti sunt propriae. Quod valet praesertim pro prece eucharistica.

Hic textus, a quibusdam petitus, a Consultore qui animadversiones examinavit propositus est. Rev.mus Relator hunc canonem necessarium non tenet, dum, iuxta Consultoris sententiam, clarissimum munus in celebratione eucharistica divisio appareret. Uni Consultori quaestio momentosa videtur, sed magis liturgica quam iuridica. Alter Consultor

tenet, opportunum esse ut in Codice quaestio, etsi potius liturgica, introducatur. Suffragatione facta, probatur (uno abstinente), quattuor votis contra tres, iuxta sequentem textum tandem ab omnibus probatum:

In celebratione eucharistica diaconis et laicis non licet orationes, in specie precem eucharisticam, proferre vel actionibus fungi, quae sacerdoti celebranti sunt propriae.

Can. 68 (novus)

Sacerdotibus catholicis non licet una cum ministris ecclesiarum communitatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium Eucharistiam concelebrare.

Inspectis animadversionibus, hic textus proponitur:

Sacerdotes catholici nequeunt una cum sacerdotibus vel ministris ecclesiarum communitatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium Eucharistiam concelebrare.

Rev.mo Relatori verbum *nequeunt* non placet utpote magis indicans impossibilitatem physicam. Disceptatione peracta, omnes Consultores in textu sequenti concordant:

Sacerdotibus catholicis vetitum est una cum sacerdotibus vel ministris ecclesiarum communitatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium Eucharistiam concelebrare.

Rev.mo Relatori verbum *nequeunt* non placet utpote magis indicans impossibilitatem physicam. Disceptatione peracta, omnes Consultores in textu sequenti concordant: *Sacerdotibus catholicis vetitum est una cum sacerdotibus et ministris ecclesiarum communitatumve ecclesialium plenam communionem cum Ecclesia catholica non habentium Eucharistiam concelebrare.*

In animadversionibus ad can. 68 ab aliquibus petitum est ut canon novus conficiatur quo inculcetur quod sacerdos homo orationis et pietatis eucharisticae debet esse.

Rev.mus Relator tenet adiectionem non necessariam esse, dum aliquis Consultor opportunum censet ut aliquid dicatur, vel idea in fine can. 65 exprimatur. Res, suffragationi submissa, probatur per quinque suffragia contra tres sequenti textu, qui ab omnibus probatur et sic sonat:

Can. 68 bis

Sacerdos ne omittat se ad eucharistici Sacrificii celebrationem oratione debite praeparare eoque expleto Deo gratias agere.

Can. 69 (CIC 809)

Integrum est sacerdoti Missam applicare pro quibusvis, tum vivis tum defunctis.

Postquam animadversiones lectae sunt, disceptatio peragitur et unus Consultor censet canonem potius contentum theologicum quam iuridicum praebere. Agitur de affirmatione theologica omnino pacifica. In Codice ratio habebatur cum in relatione esset cum can. 2262 § 2, n. 2, qui de excommunicato agebat. Canon uti est, nimis extensus videtur ideoque nihil diceret. Ceterum adest Instructio S. Congregationis pro Doctrina Fidei de Missae celebratione pro iis qui non sunt in communione cum Ecclesia catholica. Omnibus Consultoribus placet ut canon deleatur.

Can. 70 (CIC 845)

§ 1. Minister ordinarius sacrae Communionis est sacerdos et diaconus.

§ 2. Extraordinarius sacrae Communionis minister, in casibus nempe in quibus necessitas pastoralis id requirat, est acolythus necnon, servatis loci Ordinarii praescriptis, aliis christifidelis.

Consideratis animadversionibus in consultatione prolatis, unus Consultor sequens proponit textus:

§ 1. Minister ordinarius sacrae Communionis est episcopus, sacerdos et diaconus.

§ 2. Extraordinarius sacrae Communionis minister, in casibus nempe in quibus necessitas vel utilitas pastoralis id requirat, est acolythus necnon, servatis loci Ordinarii praescriptis, aliis christifidelis utriusque sexus legitime deputatus.

Ad § 1: Placet, sed loco sacerdos dicatur presbyter.

Ad § 2: Placet, tamen demptis verbis *nempe* necnon *servatis loci Ordinarii praescriptis* atque *utriusque sexus*; loco *legitime* dicatur *ad normam iuris*.

Can. 71 (CIC 848-850)

§ 1. Salvis canonibus 397, n. 3 et 514, §§ 1-3 (CIC), parochi loci officium est et ius sanctissimam Eucharistiam per modum Viatici ad infirmos in sua paroecia deferendi

§ 2. In casu necessitatis id facere possunt ceteri sacerdotes, iisque deficientibus alii sacrae Communionis ministri, de licentia saltem praesumpta parochi.

Prae oculis habitis animadversionibus prolatis praesertim ab aliquibus Conferentiis Episcopali bus, sequentem proponitur textus:

§ 1. Officium et ius Sanctissimam Eucharistiam per modum Vaticani ad infirmos deferendi habent parochus et vicarii paroeciales, sacerdos cui mandata est cura infirmorum vel senum in valetudinariis nec non quoad omnes in domo versantes, Moderator communitalis in clericis Institutis vitae consecratae, atque cappellanus aliorum Institutorum vitae consecratae.

§ 2. In casu necessitatis aut de licentia saltem praesumpta parochi, cappellani vel moderatoris, cui postea notitia dari debet, hoc facere potest quilibet sacerdos vel alius ex sacrae communionis ministris.

Ad § 1: Placet textus. Disputatum est utrum servandum esset verbum *ius* an non. Suffragatione peracta, omnibus ut servetur placet, duobus Consultoribus exceptis.

Ad § 2: Textus placet, sed loco *notitia dari ... sacerdos ... dicatur notitia dari oportet, hoc facere debet quilibet sacerdos ...*

Hoc modo finis imponitur laboribus huic Sessioni assignatis.
(M. DE NICOLÒ, *Actuarius*).

